



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1674.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Poloni instaurato hoc anno bello Turcas  
 sub Joanne Sobieski supremo Regni Pole-  
 marcho prope Chozymum ad Tyram flu-  
 vium Mense Novembri clade internecinâ  
 delerunt. Plura moliri vetuit anni tem-  
 pestas, & mors Regis Michaëlis, qui subi-  
 dem ferè tempus Leopoli fatis concessit.

Leopoldus Cæsar extinctâ mense Majo  
 Margaritâ Hispanâ ad secundas Nuptias  
 transit cum Claudia Felicitate Ferdinandi  
 Caroli Archi-Ducis Tyrolensis filia, cum  
 quâ tamen vano felicitatis omine breve  
 matrimonium habuit.

*ANNVS 1674.*

**R**ex Galliæ, immisso in Cæsarianos Tur-  
 renio, qui eos distraheret, mense Majo  
 Burgundiam invadit, & intrâ paucas heb-  
 domadas vi & metu subigit.

Turrenius Cæsarianis occurrens in Pala-  
 tinatu cum eis decertat acri conflictu sed  
 dubiâ victoriâ Eodem pene Marte & suc-  
 cessu inter eosdem denuo conflictum pro-  
 pè Holz- & Enfishemium: quamvis non  
 desint ex scriptoribus nomini Francico mi-  
 nimè infensi, qui apertè fateantur, Gallos in  
 hac pugna cecidisse alea, & præter impedi-  
 menta omnia amisisse suorum quatuor mil-  
 lia,

lia, quamvis nec incruentam Germanis victoriam fuisse velint, cum mille ducentos ex suis in eodem prælio cæsos desiderasse scribant.

Post pugnam Ensisheimensem Cæsariani aucti copiis Brandeburgicis Brisacum eminus coronâ cingunt, Consilio non omnibus probato, cum fortè satius fuisset insequi fractos fugientesque Gallos, quàm mors inutili ad Brisacum perdere tempus victoriarum.

Carolus Dux Lotharingæ, qui ditione licèt privatus, propriis tamen copiis in exercitu Cæsareo militabat, quingentos Nobiles Gallos extremo delectu in Provincia Andegavensi recensitos (vulgò Arrierban) immisis aliquot equitum cohortibus ità incautos opprimit, ut præter 150 qui venêre in censû captorum, reliqui omnes ferro sint deleti.

In Belgio ad Mosam Generalis Soucheus recuperato Hujō & Dinantio ad oppidum Seneff cum Gallis congreditur cruento admodum Marte, quod dirimi non potuit nisi per noctem, cujus beneficio elapsi Galli in tutiora victoriam cessêre fœderatis. Gravia post protractam ad tres menses obsidionem dedita Principi Auriaco.

Rex

Rex Sueciæ in favorem Galli indicit bellum Electori Brandenburgico & Cæsari. Compensavit tamen novi hostis periculum accessus novi fœderati Regis Daniæ, qui eodem tempore transit in partes Cæsaris.

Primo confligit hoc anno prælio novus rebellium Hungarorum Dux Emericus Teckelius (famoso posthac nomine ob pertinacem animi perfidiam orbi prodendus) cum copiis Cæsarianis pro extorquenda facultate liberè profitendi hæresin, sed victus fugatusque abscedere coactus accepto vulnere in fronte, ut vel sic præfracta Rebellis cervix erubescere disceret.

In apertam eodem hoc anno ruere Messanenses defectionem à fide Regis Hispani & explicatis palàm rebellionis vexillis se dedidère Regi Ludovico,

In comitiis Polonorum eligitur & salutatur Rex Joannes Sobiesky supremus regni Mareschallus,

*ANNUS 1675.*

**H**ic annus plenariæ remissionis Jubilæo sacer Romam versus ex omnibus provinciis ingentem peregrinorum concursum excivit, nihil remorante bello in Provinciis Ciscomantis, quin etiam aliqui principes